

Reipubl. incolumitate telis omnibus objicere, & insuper nobisc
 persuadere debemus, *Nullum vile, sordidum, aut exile ministe-
 rium coram illo censeriposse, qui in omni politiâ, ut in corpore (λ)
 humano, non modò caput, oculos aut manus, verùm etiam pedes,
 ventrem, anum, pudenda esse voluit: cui proinde morigerari aut
 servire longè major est & excellentior, quàm magni Alexandri
 aut Pompeji de terrarum orbe devicto, triumphus. Quam
 enim spartam nacti sumus, eam pro virili amare (μ) tueri, auge-
 re & defendere debemus: ex quo fit, ut disciplina omnis ad for-
 mam publici regiminis penitus conformanda sit. Quare anti-
 quitus neminem patiebantur ad proprium arbitrium vel priva-
 tam utilitatem liberos educare suos, ne fortè molliore educa-
 tione corrupti adolescentes minus essent Reipubl. idonei.*

Atq; his jam subjunxit statim versiculos ex illâ, quæ nobis
 hanc utramq; fecit paginam, *Juvenalis* satirâ, qui sic habent

Gratum est, quod patriæ civem populoq; dedisti,
 si facis ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
 utilis & bellorum & pacis rebus agendis: (tu
 plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc
 moribus instituas (ν)

Heic jam rogo lectores meos, in quorumcunq; manûs hoc me-
 um schediasma perventurum fuerit, ut mihi ignoscant persua-
 so, melius hosce versus à *B. Luther*, declaratos fuisse stylò Germa-
 nicò, quàm ego eos explicarem sermone Latino: illius ergò
 purpura huic meò pannò seu lacinia assuta desumta est ex Tomo

B 2

II X.

(λ) *Vide beic primò scriptorem sanctissimum Paullum* 1. Cor. XII. de-
 inde egregium *Tractatum* Casparis Dornavij, quem inscripsit
 Menenium Agrippam, & ex nostris Progr. XVI. & XVII. (μ)
 melius forte ornare juxta proverb. *Σπάντην ἔλαχες κείνην κόσμη:*
 Ubi mihi vide sis omnino *Erasmum* in, *Servire tempori.* (ν)
Vide Guevar. Horolog. Princip. lib. I, c. 2. §. Erat Romanis.